Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Alexander de Villa Dei; De forma vivendi monachorum; Perikopen; Novum Testamentum. - Nürnberg, STN, Cent. I, 81

Signatur: Cent. I, 81

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Prologus in Matheum primus

Matheus ex Iudea sicut in ordine primus ponitur ita Evangelium in Iudea primus scripsit. Cuius vocatio ad deum ex publicanis actibus fuit duorum in generatione Christi principia presumens unius cuius prima circumcisio in carne alterius cuius secundum cor electio fuit. Ex utrisque enim partibus Christus. Sicque quaterdenario numero triformiter posito principium a credendi fide in electionis tempus porrigens et ex electione usque in transmigrationis diem dirigens atque a transmigrationis die usque in Christum definiens decursam adventus domini ostendit generationem et numero satisfaciens et tempori ut et se quod esset ostenderet et dei in se opus monstrans etiam in hiis quorum genus posuit Christi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum tempus ordo numerus dispositio vel ratio quod fidei necessarium est deus Christus est qui factus est ex muliere factus sub lege natus ex virgine passus in carne omnia in cruce fixit ut triumphans ea in semetipso resurgens in corpore et patris nomen in patribus filio et filii nomen patri restituens in filiis sine principio sine fine ostendens unum se cum patre esse quia unus est. In quo Evangelio utile est desiderantibus deum sic prima vel media vel perfecta cognoscere ut et vocationem apostoli et opus Evangelii et dilectionem dei in carne nascentis per universa legentes intelligant atque id in eo in quo apprehensi sunt et apprehendere expetunt recognoscant. Nobis enim hoc in studio argumenti fuit et fidem facte rei tradere et operantis dei intelligendam diligenter esse dispositionem querentibus non tacere.

Alius prologus

Matheus cum primo predicasset evangelium in Iudea volens transire ad gentes primus Evangelium scripsit hebraice quod fratribus ibat ad memoriam reliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei evangelium predicari sic et contra hereticos scribi. Cum autem plures evangelium scripserint quatuor tamen auctoritatis habent testimonium quia per quatuor mundi partes fidem nunciant trinitatis et sunt quasi quatuor rote in quadriga domini que vehat eum per predicationem evangelii et genus humanum quadrifida morte peremptum eorum erat predicatione vivificandum. Unde et aliorum evangelia deciderunt nec recepta sunt quia dominus nolebat prefinitum numerum cassari propter virtutem sacramenti. Designantur et evangeliste quatuor figuris que non sunt deceptorie sed iocundi misterii sibi conscie. Matheus in homine intelligitur quia circa humanitatem Christi principaliter immoratur. Marcus in leone quia agit resurrectionem. Lucas